

mit faceret, & decuit, ut Beatissima Virgo non haberet debitum proximum incurrendi peccatum originale: Ergo etiam non habuit III. Si Christus non a debito Virgineam suam Matrem praeferuisset, non esset perfectissimus mediator; quia non habuisset perfectissimum modum mediandi possibilem ergo ut sit perfectissimus mediator, a debito suam Matrem praeferuavit.

Obijciunt. Beatissima Virgo fuit comprehensa in illa lege generali de transfusione peccati: ergo. Prob. antec. Si non fuisset comprehensa, hoc factum fuisset ex praevisis meritis mortis Christi, atqui hoc non; quia mors Christi est posterior praevisioe lapsus Adae, & posterorum in ipso tantum capite morali: Beatissima Virgo autem jam ante lapsum Adae debuisset excipi ab illa lege generali: ergo Beatissima Virgo ab illa lege generali non fuit excepta ob merita mortis Christi. Respond. P. Herinx, dist. anteced. Beatissima Virgo fuit comprehensa absolute neg. conditionate nisi pro sequentibus signis excipiatur, uti factum est. Concedo.

ASSERTIO XXXVIII.

De ratione peccati est, esse contra legem. Scotus 2. d. 37. Scotistae, & Thomistae communiiter.

Probatur. Rom. 4. ubi non est Lex, nec praevaricatio. Ratio est: quia tunc quis committit peccatum, quando facit contra suam obligationem; sed non est obligatio, nisi a lege: ergo etiam non est peccatum nisi contra Legem.

Obijciunt I. Rom. 2. qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Resp. Sanctum Paulum loqui non de omni lege, sed solum de Mosaica, cum quo stat, quod tales peccaverint contra legem naturalem. II. Odium DEI est prohibitum, quia malum: ergo ante legem jam est peccatum, seu malum. Resp. dist. conf. jam est malum in genere naturae Conc. in genere moris neg. conf. III. Ergo DEUS potuisset odium DEI non prohibere cum sit liber ad extra. Resp. dist. illatum; potuisset non prohibere per legem positivam Conc. per legem naturalem neg. illatum. IV. DEUS nihil prohibet, nisi ob malitiam moralem: ergo jam antecederet odium DEI debuit habuisse malitiam moralem. Resp. neg. aut quia etiam DEUS in genere naturae odit malitiam naturalem odii DEI, & propter eandem, necessarium prohibet odium DEI. Deinde Adamo prohibuit esum pomi, qui antecederet non erat malus.

ASSERTIO XXXIX.

Formalis malitia peccati actualis est privatio debite rectitudinis. Doctor Subtilis 2. d. 37. cum suis.

Probatur I. Quia in Sacra Scriptura peccatum vocatur nihilum. Amos 6. Tenebrae, Joan. 3. cecitas, Isaia 42. vanitas, Psalmo 4. II. Quia sanctus Augustinus l. 21. civ. 9. ait: mali nulla natura est, sed omisso boni mali nomen accepit, & S. Greg. Naz. orat. 40. inquit: crede, nullam mali essentiam esse. III. Quia omnis defectus formaliter est privatio debite rectitudinis; atqui peccatum est defectus: ergo. IV. Malitia moralis nequit esse a DEO, ex Concil. Trid. sess. 6. can. 6. atqui si foret entitas positiva, esset a DEO: ergo est privatio; non quidem gratiae sanctificantis, alias peccata non distinguerentur specie, imo peccatum veniale non esset peccatum, quia non privaret gratia sanctificantem: ergo est privatio debite rectitudinis.

Obijciunt I. Peccatum in Sacra Scriptura dicitur transgressio, mendacium etc. quae sunt quid positivum. R. dist. peccatum pro materiali C. formali neg. II. Odium DEI non est capax rectitudinis. Resp. D. subjective, & physice C. objective, & moraliter neg. III. Implicat, ut odium DEI sit objective rectum, & honestum. ergo. R. dist. ant. implicat, ut odium DEI sit objective honestum, hoc est, ut sit objectum honestum in genere moris C. ant. hoc est, ut odium DEI, quatenus porit non elici, antequam eliciebatur, non fuerit capax rectitudinis. N. ant. IV. Privatio est in subiecto existente; sed odium DEO existens non est capax rectitudinis: ergo odium existens non habet privationem rectitudinis. R. D. maj. Privatio physica C. moralis N.

ASSERTIO XL.

Peccatum habituale est reatus, seu dignitas ad poenam, ut orta immediate ex peccato actuali. Scotus 4. d. 14. qu. 1. com suis contra Thomistas, & recentiores.

Probatur I. Exodi 22. dicitur: Percussit Dominus populum pro reatu vituli. II. Meritum habituale est dignitas ad praemium; contrafactus habituales est obligatio inde confurgens; sicut & votum habituale: ergo etiam peccatum habituale est

reatus, seu dignitas, & obligatio ad poenam. III. Peccatum habituale non est privatio gratiae sanctificantis; alias omnia peccata habituala essent eadem specie: nec est peccatum praeteritum cum duplici negatione retractationis, & condonationis, nam peccatum habituale destrui potest, non tamen hoc, quod peccatum sit praeteritum: Deinde peccatum habituale est objectum retractationis, & condonationis, & non retractationis, & non condonationis: ergo non est ipsa negatio retractationis, & condonationis, sed reatus Poenae, qui retractari, & condonari potest.

Obijciunt I. Haec Baji propositio est damnata. In peccato duo sunt, actus, & reatus: transiente actu nihil remanet, nisi reatus, seu obligatio ad poenam. Resp. Nos dicimus etiam remanere privationem gratiae sanctificantis, quam negavit Baji in propositione 70. II. Dimisso peccato mortali remanet obligatio ad poenam: Resp. dist. ad poenam damnationis neg. satisfactionis C. III. Peccatum habituale est mors animae: ergo consistit in privatione gratiae sanctificantis. Respond. dit. antec. est mors animae casualiter C. formaliter neg. ant. IV. Dignitas ad poenam supponit peccatum habituale: ergo nequit esse ipsum peccatum habituale. Resp. dist. ant. dignitas ad poenam proveniens immediate ex ipso peccato neg. antec. proveniens ab actu divinae voluntatis vindicantis peccatum, supponit peccatum habituale C. ant. & N. consequentiam.

ASSERTIO XLI.

Possibilis est omisso pura libera. Scotus 2. d. 4. q. 4. & communis Scotistarum nominalium, & recentiorum contra Thomistas.

Probatur: Voluntas, quia libera est libertate contrarietatis, potest immediate sine omni actu voluntatis amare, & odire: ergo etiam, cum aequae libera sit libertate contradictionis, poterit immediate sine omni alio actu voluntatis amare, & non amare, adeoque non amando omittet pure liberè.

Obijciunt I. Omisso verb. grat. Sacri nunquam potest esse sine actu externo verb. grat. statione, fessione, vel cubatione. Resp. dist. sine actu externo formaliter, & expresse imperato N. virtualiter, & interpretative imperato C. II. Pura omisso nequit esse exercitium potentiae vitalis liberè. Resp. dist. exercitium positivum, C. privativum III. Potentia libera ut libera, est vitalis; sed omne exercitium potentiae vitalis est positivum: ergo pura omisso nequit esse exercitium potentiae liberè vitalis. R. dist. maj. potentia libera ut libera ad operandum, est vitalis C. maj. ad non operandum, subdist. est vitalis in actu primo C. in actu secundo, hoc est, vitaliter operatur neg. & similiter dist. min. IV. Voluntas omittens pure liberè debet habere motivum. Resp. dist. formale N. interpretativum C.

ASSERTIO XLII.

Omisso pura libera potest esse peccaminosa. Est Scotistarum contra Thomistas.

Probatur. Omisso v. gr. Sacri die festo sine omni actu interno voluntatis, ac etiam externo, formaliter, & expresse imperato, est omisso pura libera; atqui haec omisso est peccaminosa, cum sit contra legem Ecclesiae, die festo obligantem ad audiendam missam: ergo omisso sacri pura libera die festo, est peccaminosa.

Obijciunt I. Peccatum est aversio a DEO, & conversio ad creaturam; sed talis nequit esse pura omisso: ergo. Resp. dist. maj. est conversio, vel formalis, vel virtualis, vel interpretativa C. maj. semper formalis neg. maj. II. Peccatum debet esse voluntarium saltem indirectè; atqui pura omisso non est indirectè voluntaria; alias esset voluta in sua causa, ac eo ipso non foret pura omisso: ergo nec potest esse peccatum. Resp. C. min. non est indirectè voluntaria, si indirectè voluntarium sumatur pro eo, quod est voluntarium in causa C. min. si indirectè voluntarium sumatur pro eo, quod aequivaleret actui explicito neg. min. III. Peccatum actuale est actus. Resp. dist. peccatum commissivum est actus C. ommissionis, subdist. est actus formalis neg. interpretativus C.

ASSERTIO XLIII.

Si tempore ommissionis actus praecipii sit impotentia illum faciendi, peccatum ommissionis contrahitur tunc, quando liberè ponitur ejus causa, cum praevisioe securae ommissionis. Ita Doctores Seraphicus, & Subtilis, 2. d. 40. Scotistae, & recentiores contra Thomistas.

Pro-

Probatur. Quia in hoc casu omisso v. g. Sacri in somno, vel ebrietate facta, non est in se formaliter libera; cum non adsit potentia Sacrum praecipium audiendi: ergo non est in se formaliter peccatum; adeoque tunc contrahetur peccatum ommissionis, quando liberè ponitur ejus causa, quia tunc ponitur impedimentum ad audiendum Sacrum, quod tamen removeri deberet, cum obligatus ad finem teneatur etiam ad media.

Obijciunt I. Omisso Sacri in somno facta est libera indirectè, & interpretative: ergo est in se formaliter peccatum. Respond. neg. antec. quia ad liberum etiam indirectè, & interpretative, requiritur potentia expedita ad faciendum opus praecipium. II. Praecipium audiendi sacrum obligat tempore somni: ergo tunc modò violatur. Respond. dist. ant. obligat in se, neg. obligavit in causa ante somnum C. ant. & N. Conf.

ASSERTIO XLIV.

Peccatum mortale, in ratione offensae DEI non est intrinsecè, & simpliciter infinitum, sed tantum extrinsecè, & secundum quid. Scotus 2. dist. 37. 1. cum suis contra Thomistas.

Probatur. Tum, quia unum peccatum mortale est altero majus, etiam in ratione offensae: cum in ratione malitiae mortalis, quae est radix offensae, unum sit altero majus: atqui infinito simpliciter, non datur majus: ergo. Tum quia unum peccatum mortale non continet omnes offensas, quod tamen deberet esse, si foret simpliciter infinitum: Denique peccatum veniale etiam est offensae DEI infiniti, nec tamen est simpliciter infinitum in ratione offensae: ergo nec mortale.

Obijciunt I. Quò major est Persona offensa, eò major est offensa; sed Persona offensa per peccatum mortale est Persona simpliciter infinita: ergo etiam offensa est simpliciter infinita. Resp. dist. maj. eò major geometricè est offensa C. arithmetice N. alias retorqueri potest de peccato veniali. II. Peccatum mortale infinitè excedit veniale. Resp. dist. in malitia morali N. in causalitate poenae C. III. Ergo cum mortale causet poenam infinitam, erit infinitum. R. D. si causet poenam categorematicè infinitam, C. fecus N.

ASSERTIO XLV.

Peccatum veniale conjunctum mortali non punitur in inferno poena aeterna. Scotus 4. d. 21. q. 1. Scotistae, ac multi recentiores contra Thomistas.

Probatur. Peccatum veniale etiam conjunctum mortali, non meretur poenam aeternam, cum veniale etiam conjunctum mortali, non accipiat majorem malitiam: ergo nec punitur poena aeterna, alias damnatus ob unum mortale, & plura venialia, gravius puniretur in inferno ob venialia, quam ob mortale, cum ob venialia puniretur poena aeterna intensiori, ob mortale verò poena aeterna non ita intensa.

Obijciunt I. In inferno manet semper culpa venialis: ergo etiam dignitas ad poenam. Resp. dist. Conf. ad poenam solutam, C. solvendam semper, neg. Conf. II. Debitum poenae non extinguitur, nisi per voluntariam poenae tolerantiam, quod non fit in inferno. Resp. dist. debitum poenae non extinguitur &c. per modum satisfactionis C. satisfactionis neg. III. Ex inferno nulla redemptio. R. quia nulla spes est liberationis ex inferno. IV. Damnati successu temporis acciperent mitigationem in poenis. R. D. in poenis promeritis per peccatum mortale N. per venialia C.

ASSERTIO XLVI.

Sine fide, gratia habituali, & actuali potest homo lapsus facere aliqua opera moraliter bona ordinis naturalis, Communissima contra Hussum, Janfenium, Bajum, Quesnellum, & alios.

Probatur I. Quia a S. Pio V. & aliis Summis Pontificibus damnata est sequens Baji propositio 25. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. Et 35. Omne, quod agit peccator, aut servus peccati, peccatum est. II. Quia Conc. Trid. sess. 6. can. 7. definit, non omnia quae ante justificationem sunt ab homine, esse peccata. III. Quia intellectus sine fide, & gratia, potest cognoscere verb. gr. honestum esse, honorare parentes, ergo etiam voluntas sine fide, & gratia potest velle honorare parentes, & ipsos actu honorare.

Obijciunt I. Matth. 7. Non potest arbor mala bonos fructus facere. R. D. bonos bonitate supernaturali, & meritoria de condigno C. fecus neg. II. Opera infidelium moraliter bona

placrent DEO. R. D. in ordine ad praemium supernaturale, Neg. naturale, C. nam S. Augustinus 19. civ. 15. docet, Romanos ob exercitium virtutum moralium meruisse imperium, & obstetrices Aegyptiacas meruisse sibi domos edificari.

ASSERTIO XLVII.

Homo potest eum gratia Divina, quae nulli deest, omnia DEI praecipia observare. Contra haereticos nostri temporis.

Probatur I. Jugum meum suave est, & onus meum leve, ait Christus Matth. 11. Mandata ejus gravia non sunt, ait S. Joannes 1. Joannis 5. Omnia possunt in eo, qui me confortat, ait S. Paulus, Phil. 4. Erant justi ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini, ait de Zacharia, & Elisabeth S. Lucas c. 1. ergo. II. Quia DEUS effectus insipientis, & crudelis, si sub poena aeterna obligaret nos ad impossibile, atqui: ergo.

Obijciunt I. In multis offendimus omnes. Jacob. 3. R. leviter, & venialiter, non mortaliter; quia omne peccatum mortale cum gratia Divina evitare possumus. II. Velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio, ait S. Paulus Rom. 7. R. S. Paulum voluisse carere motibus concupiscentiae, sed non potuisse efficere, ut illis careat, quamvis potuerit illis non consentire. III. S. Petrus Act. 15. Legem Mosaicam vocat iugum importabile. R. Loquitur non de Lege Morali, sed caeremoniali, servabili quidem, ut patet in Zacharia, & Elisabeth, sed difficulter.

ASSERTIO XLVIII.

DEUS dat omnibus hominibus gratiam sufficientem ad salutem. Ita S. Scriptura, Sancti Patres, & Theologi.

Probatur I. Rom. 8. Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? S. Fulgentius Ep. 7. ad ven. c. 8. ait. Nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore caelestis potest deficere medicina. II. DEUS. vult omnes homines salvos fieri. Timot. 2. ergo etiam vult ipsis dare media ad salutem; quia sine mediis finis obtineri non potest; atqui ad salutem consequendam medium est gratia, ergo si vult salutem, vult etiam gratiam. III. Omnes homines quocunque modo excæcati, obdurati, & reprobi tenentur observare praecipia Divina, sed praecipia Divina sine gratia non possunt observari; quia tendunt in finem supernaturalem: ergo ut possint observari, necessaria est illis gratia; DEUS autem non deest in necessitatiis.

Obijciunt I. Sacra Scriptura, & Sancti Patres asserunt, peccatoribus obduratis non dari gratiam, DEUM nolle ipsis remittere peccata, eos non posse se convertere: ergo. Resp. Sacra Scriptura, & Sancti Patres intelligi debent, quòd DEUS peccatoribus obduratis non quidem det gratiam effectivam; at tamen det sufficientem: & quòd DEUS ipsis nolit remittere peccata, quia nolunt ea detestari, & vitare, & quòd peccatores obdurati difficulter se possint convertere ad meliorem vitam, quamvis tamen cum Divina gratia possint; alias certe non peccarent, si non haberent gratiam ad evitanda peccata. II. S. Augustinus lib. de bono persever. c. 7. ait: Plerumque scilicet parentibus, & paratis ministris, ut Baptismus parulo detur, DEO tamen nolente non datur, cum repente, antequam detur, expirant, quo, ut recipere, currebant: ergo DEUS parvulis non dat gratiam sufficientem, quia non vult applicari Baptismus. R. S. Augustinum esse intelligendum, quòd DEO nolente perturbare ordinem casuum secundarum naturalium, conservando parvulis vitam contra cursum, vel exigentiam ordinis naturalis, non detur Baptismus, non autem, quòd DEO nolente voluntate antecedenti non detur Baptismus parvulis. III. Melius esset salvari parvulum, quam non perturbari cursum casuum naturalium. Resp. dist. absolute, & secundum se C. respective ad DEI voluntatem neg. IV. Fides est prima gratia; sed infideles non habent fidem: ergo nullam gratiam. A. D. maj. fides perfecta, seu habitus ille infusus, quo fideles dicuntur, est prima gratia neg. maj. fides inchoata, seu cognitio illa prima supernaturalis DEI, qua scilicet creditur in DEUM C. maj. & dist. min. fides perfecta non datur omnibus infidelibus, C. min. fides inchoata, N. minor. & Conf.

ASSERTIO XLIX.

Gratia Divina non necessitat voluntatem humanam ad bonum, nam voluntas gratiae resistere potest. Contra Calvinistas, Lutheranos, & Janfenistas.

Proba-

Probatur I. Vocari, & renuisti. Proo. 1. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gullina congregat pullos suos sub alas, & nolisti? Matth. 23. Exhortamur, ne in vacuum DEI gratiam recipiat. 2. Corin. 8. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Genes. 4. Qui potuit transgredi, & non est transgressus. Eccl. 31. Optio vobis datur, eligite, quod vobis placeat. Josue 24. II. Quia si homo non foret liber, non posset mereri, nec demereri, nec praemiari, nec puniri, nec laudari, nec vituperari; Quare Doctor Subtilis 1. d. 39. inquit: negantes libertatem exponendos esse tormentis, quousque credant possibile esse, eos non torqueri.

Obicitur I. Sacra Scriptura asserit, DEUM opera nostra operari: ipsumque corda nostra efficaciter tangere, & inclinare. R. Nobis tamen libere cooperantibus. II. S. Augustinus Enchir. cap. 30. ait: libero arbitrio male utens homo, se perdidit, & ipsum. Resp. non quoad substantiam; sed quoad bona supernaturalia; per Christum tamen iterum reparata.

ASSERTIO L.

Gratia, & charitas habitualis sunt idem realiter habitus. Scotus 2. d. 27. quæst. un. Cum suis contra Thomistas, & recentiores.

Probatur. Omnes excellentiæ, & effectus, qui à Sacra Scriptura tribuuntur gratiæ sanctificanti, conveniunt etiam charitati habituali, ait enim Scotus cit. ex Aug. 13. civ. 18. Utraque equaliter dividit inter Filios Regni, & perditionis: utraque etiam est forma virtutum, & neutra potest esse informis; utraque coniungit ultimo fini: ergo gratia sanctificans, & charitas sunt idem realiter habitus.

Obicitur I. Sacra Scriptura distinguit gratiam à charitate. R. dist. gratiam actuale C. habituale N. II. Concilia distinguunt gratiam à virtutibus; sed charitas est virtus: ergo. Resp. D. maj. à virtutibus, scilicet fide, & spe C. à charitate N. maj. quia non omnes effectus competentes gratiæ, conveniunt huius, & spei sicut charitati. III. Concil. Trident. sess. 6. can. 11. damnat asserentem, justificationem fieri exclusa gratia, & charitate. R. At statim subdit in singulari: que in cordibus eorum diffunditur, vel Concilium distinguit gratiam à charitate entitative neg. connotative C. IV. Gratia dat esse supernaturale: ergo nequit esse principium proximum operativum. R. N. Conf. quia etiam calor dat esse calidum, & simul calefactivum.

ASSERTIO LI.

Iustificatio est effectus formalis gratiæ sanctificantis non ex natura rei, sed solum moralis, & ex ordinatione Divina. Scotus 2. dist. 17. q. 4. dist. 16. quæst. 2. cum suis contra Thomistas.

Probatur I. Peccatum ex natura sua physica non reddit hominem indignum amicitia DEI; ergo nec gratia sanctificans reddit ex natura sua hominem dignum amicitia DEI. Probat. antec. peccatum est transgressio legis, ita, ut implicante lege, etiam implicet peccatum; atqui lex habet tantum suam vim dependentem à decreto DEI, ita ut seclufa lege, eiusque transgressione, nullus dicatur indignus amicitia, & gloria DEI: ergo. II. Gratia dat tale ius ad gloriam homini, ita ut DEUS non possit illi negare gloriam; atqui tale ius nequit conferre connaturaliter ulla creatura; quia postea quacunque creatura DEUS potest non agere ad ipsius exigentiam connaturalem: ergo nulla creatura ex natura sua potest hominem sanctificare. III. Character Baptismi non ex natura rei, sed ex ordinatione Divina constituit formaliter hominem Christianum: ergo etiam gratia sanctificans non ex natura rei, sed ex ordinatione Divina constituit formaliter hominem Filium DEI. Denique actus perfectæ dilectionis DEI ex natura rei non facit hominem DEO gratum, & sanctum: ergo nec habitus charitatis, seu gratia sanctificans.

Obicitur I. Sequeretur, quod gratia non esset unica causa formalis nostræ justificationis, sed partim qualitas inherens, partim etiam ordinatio extrinseca favorabilis DEI, quod est contra Concilium Tridentinum. Respondet neg. sequelam; quia qualitas inherens, seu habitus charitatis, & ordinatio, seu favor DEI constituunt integraliter unam causam formalem nostræ justificationis, & Concilium Tridentinum potius est pro hac assertione; quia justificationem nostram singulariter attribuit DEO, qui gratiâ abluat, & sanctificat. II. Lumen gloriæ ex natura sua facit hominem videre DEUM: ergo, & gratia ex natura sua facit hominem amicum DEI. Respond. neg. Conf. disparitas est; quia visio beatifica idem connaturalis dicitur lumini gloriæ, quia lumen gloriæ est principium physice

effectivum visionis beatificæ, & non habet ullum alium effectum quem præstaret ex natura sua: contra gratia ex natura sua est principium physice effectivum amoris DEI, seu diligendi DEUM; reliquos autem effectus ipsi ex natura sua competere, non potest probari. III. Gratia est participatio Divinæ naturæ, quæ ex natura sua excludit omne peccatum. Resp. dist. ex ordinatione Divina Conc. seclufa ordinatione Divina, subdist. est participatio perfecta neg. imperfecta Conc.

ASSERTIO LII.

Gratia sanctificans materialiter spectata, & peccatum mortale possunt stare simul de potentia DEI absoluta. Scotus 1. d. 17. cum suis.

Probatur: Si esset aliqua repugnancia quod gratia materialiter spectata, & peccatum mortale non possent simul stare, esset oppositio physica inter gratiam, & peccatum; atqui inter gratiam, & peccatum non est oppositio physica: ergo. Probat. min. imprimis inter illa non est oppositio relativa; quia gratia, & peccatum, relationes non sunt; nec contradictoria, quia peccatum non est pura negatio gratiæ, cum sit in subiecto gratiæ capaci: nec contraria; quia hæc oppositio est inter formas positivas: peccatum autem non est forma positiva: nec denique privativa: quia peccatum actuale non consistit in privatione gratiæ, nec habituale, consistit in privatione gratiæ, sed in reatu, seu dignitate ad poenam: ergo inter gratiam, & peccatum non est oppositio physica.

Obicitur I. Si gratia, & peccatum possent simul stare, idem homo esset amicus, & inimicus DEI; sed hæc sunt contradictoria: ergo. Resp. neg. seq. Quia gratia materialiter sumpta ex natura sua non facit hominem DEI amicum, sed tantum ex ordinatione Divina, à qua præscinditur. II. Saltem talis simul esset averfus à DEO per peccatum, & conversus ad DEUM per gratiam: ergo. Resp. dist. antec. esset conversus ad DEUM habitualiter, hoc est, haberet habitum charitatis infusæ inclinastem ipsum ad amandum DEUM, qui tamen non traheret jus ad gloriam, Conc. antec. esset conversus ad DEUM, hoc est, haberet jus ad gloriam, N. antec. III. Peccatum comparatur tenebris, & gratia luci, juxta illud Apostoli, Eph. 5. Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino; sed lux, & tenebræ ex natura rei sibi opponuntur privative: ergo etiam peccatum, & gratia. Resp. Illam comparationem esse tantum metaphoricam, & tropicam; dicitur enim gratia lux, quatenus, sicut lux aerem illuminat, ita, & gratia animam, quam peccatum obscurat, non formaliter ex natura rei, sed demeritorie, gratiam tollendo.

ASSERTIO LIII.

Peccatum mortale potest DEUS, de sua potentia absoluta remittere sine infusione alicujus qualitatis. Scotus 1. d. 17. q. 2. cum suis contra Thomistas.

Probatur. Potest homo remittere alteri offensam, & injuriam sine collatione alicujus doni intrinseci: ergo etiam DEUS. Item potest DEUS hominem constituere Regem, vel Pontificem sine infusione qualitatis, item relaxare vota, & condonare poenas absque impressione qualitatis: ergo etiam poterit alicui condonare sua peccata, & eum recipere in amicum sine infusione qualitatis.

Obicitur I. Ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 4. Justificatio impii est translatio à statu peccati ad statum gratiæ: ergo nequit remitti peccatum sine gratia. Resp. dist. Conf. de facto Conc. de absoluta DEI potentia neg. Conf. quia DEUS absolute loquendo, posset alicui dimittere peccatum, nec tamen conferre jus ad gloriam. II. Saltem DEUS homini non potest conferre jus ad gloriam sine infusione qualitatis. Resp. neg. si enim DEUS homini potest conferre jus ad regnum temporale sine infusione qualitatis; cur non etiam ad regnum cælorum? III. Nequit fieri transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione saltem uni intrinseca. Respond. dist. si fit transitus physicus Conc. moralis neg.

ASSERTIO LIV.

Sola fides non justificat. Contra Lutheranos, & Calvinistas.

Probatur I. Quia S. Scrip. ad justificationem etiam requirit aliarum virtutum actus, ut Eccl. 1. Qui sine timore est, non poterit justificari. Psal. 36. Salvabit eos, qui speraverunt in eo. 1. Joan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Ezech. 18. Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet,

vet, & non morietur. II. Quia 1. Corin. 13. ait Apostolus: si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Jac. 2. Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum: ergo sola fides non justificat.

Probatur I. Ephes. 2. Gratia estis salvati per fidem, non ex operibus. Rom. 3. Arbitramur, iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Resp. loquitur Apostolus de operibus Legis Mosaicæ, & aliis sine fide factis. II. Luc. 8. Crede tantum, & salva eris. Resp. Christus non loquitur de fide remittente peccata, sed de fide miraculorum; quia non exegit fidem à puella, quam suscitare volebat, sed à Patre pro Filia sua deprecante. III. Gal. 2. Non justificatur homo nisi per fidem. Resp. sed non solam.

ASSERTIO LV.

Contritio, & Amor DEI super omnia non iustificat formaliter, sed tantum dispositive. Scotus 4. d. 4. q. 2. cum suis contra Vasquez, & alios recentiores.

Probatur. Concil. Trident. sess. 6. cap. 9. docet, unam esse causam formalem nostræ justificationis, videlicet iustitiam inhærentem, qua etiam parvuli baptizati adhuc proprii actus incapaces iustificantur, & sess. 14. capit. 4. asserit, contritionem ad remissionem peccatorum præparare: ergo Contritio, & Amor DEI formaliter non iustificat.

Obicitur I. Si homo immediate assumeretur ad beatitudinem, justificaretur per actum dilectionis in patria: ergo etiam justificabitur formaliter per actum dilectionis in via. Resp. N. Conf. Disparitas est; quia actus dilectionis in patria est ipsa gloria, adeoque habens gloriam, utique etiam habebit jus ad gloriam, secus est de dilectione in via. II. Qui diligit me, diligitur à Patre meo, Joann. 14. Resp. dist. ita, ut dilectio sit causa formalis, quare DEUS diligit hominem Neg. ita ut sit dispositio, Conc. III. Aquis est perfectior habitus: ergo si habitus charitatis seu gratiæ sanctificantis formaliter justificat, multo magis actus charitatis sic justificabit. Resp. Neg. Conf. quia status sanctitatis est permanentior etiam in dormientibus, non sic actus charitatis.

ASSERTIO LVI.

Ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, non procedit effectivè ab eadem. Scotus 4. dist. 4. quæst. 2. contra Thomistas.

Probatur, juxta Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. dispositio nem ad justificationem impii, modo consequitur justificatio; atqui justificatio formaliter fit per gratiam sanctificantem: ergo etiam gratia sanctificans consequitur dispositionem ad justificationem; atqui prius nequit effectivè procedere à posteriori: ergo neque dispositio ad gratiam potest effectivè procedere à gratia.

Obicitur I. Dispositio ad gratiam est prior gratia in genere causæ materialis, at posterior in genere causæ efficientis. Respond. in illo priori naturæ ad gratiam, vel intelligitur ultima dispositio ad gratiam, existerè, vel non? Si non intelligitur existerè, quomodo in genere causæ materialis poterit dispoere non exillens? Si intelligitur existerè: quomodo in instanti naturæ posteriori poterit modo effectivè produci à gratia? Cùm rem existerè sit eam positam esse extra omnes suas causas. II. Sacra Scriptura, & sancti Patres ajunt, contritionem procedere à gratia. Resp. dist. à gratia actuali, Conc. habituali, subd. præcedente, Conc. subsequente neg.

ASSERTIO LVII.

Opera bona sunt vita æternæ meritoria, & ad eam consequendam adultis necessaria. Contra Lutherum, & Calvinum.

Probatur I. Quia vita æterna datur adultis tanquam Merces, Matth. 5. tanquam Corona 2. Timoth. 4. tanquam Bravium. 1. Corin. 9. tanquam Denarius dari solitus operario Matth. 20. tanquam effectus bonorum operum Matth. 25. Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum; Esurivi enim, & dedistis mihi manducare; atqui merces, corona, Bravium etc. non dantur, nisi propter præcedentia merita: ergo. II. Propter demerita infligitur poena æternæ reprobis: ergo propter merita confertur vita æterna electis nam Rom. 2. DEUS reddet unicuique secundum opera sua.

Obicitur I. Rom. 6. Gratia DEI Vita æterna. Resp. radicaliter est gratia, quia datur propter merita, quorum radix est gratia; non formaliter. II. Non ex operibus, que fecimus

nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, ad Tit. 3. Resp. loquitur Apostolus de operibus fidei, & gratiam præcedentibus. III. Servi inutiles sumus, Luc. 17. ergo nihil meremur. Resp. dist. Conf. ex virtutibus propriis naturalibus Conc. cum gratia Divina neg. Conf.

ASSERTIO LVIII.

Ecclesia habet potestatem Legislativam ad condendas Leges in conscientia obligantes, potestque iudicare, ac punire transgressores. Contra Vvalentes, Vvicleff, Huss, Lutherum, & Calvinum.

Probatur: Quia Christus Joann. 21. dixit Petro: Pasce oves meas, & Matr. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus; & S. Paulus Hebr. 13. inquit: Obedite Præpositis vestris, & subiaccete illis, & Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas, nisi à DEO; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt; itaque qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: Ergo Ecclesia habet potestatem legislativam &c.

Obicitur I. Christus Marc. 7. damnat præcepta hominû, Respond. dist. adversantia præceptis divinis Conc. conformia idem Neg. II. Gal. 2. ait S. Paulus: Vos in libertatem vocati estis, Resp. dist. à servitute peccati, & diaboli Conc. Legis neg. III. Jusso non est lex posita. Resp. quia observat eam amore honestatis, non timore poenæ.

Ex III. Libro Sententiarum de Incarnatione Verbi Divini, ac virtutibus Theologicis, & Moralibus.

ASSERTIO LIX.

Unio Hypostatica est realiter distincta à Verbo Divino, & Humanitate. Ita Doctor Subtilis cum sua schola, & multis recentioribus, ac Thomistis.

Probatur. Quæ sunt ab invicem separabilia, sunt realiter ab invicem distincta; atqui Verbum Divinum, & natura humana Christi sunt ab unione hypostatica separabilia, cùm Verbum divinum, & natura humana potuissent esse sine unione hypostatica, imò per absolutam DEI potentiam, Verbum divinum, & natura humana possunt esse sine unione hypostatica: ergo unio hypostatica est realiter distincta à Verbo divino, & humanitate Christi.

Obicitur I. Unio Hypostatica non est separabilis à Verbo divino, & natura humana unitis. R. D. unitis specificativè N. unitis reduplicativè. C. II. Ergo non est realiter distincta ab illis, ut unitis reduplicativè. Resp. neg. illatû; quia albedo etiam non est separabilis à muro, ut albo reduplicativè, & tamen est realiter distincta à muro, quia est separabilis à muro, specificativè albo. Idem dicendum de unione hypostatica, maxime, cùm Decreto DEI volentis unire naturam humanam Verbo Divino, nequeat assignari aliud obiectum, quàm unio Hypostatica realiter distincta.

ASSERTIO LX.

Verbum Divinum fuit immediatè unitum sanguini existenti in Corpore Christi, & effuso in triduo mortis eius Communis.

Probatur I. Clemens VI. Extrav. Unigenitus de panis, & remiss. ait, Gustam sanguinis Christi modicam propter unionem ad verbum pro redemptione totius humani generis sufficisse. II. Quia Conc. Trid. sess. 13. cap. 3. definit, sub speciebus vini consecratis, vi verborum per se primò poni sanguinem Christi, & concomitanter Divinitatem: ergo sanguis erit immediatè unitus Verbo Divino. III. Quia sanguis non est purum alimentum; aliàs non refugeret in corporibus gloriosis, contra Conc. Trid. cit. ergo sanguis spectat ad veritatem corporis humani, cùm sit instrumentum necessarium ad multas operationes vitales, adeoque erit immediatè unitus Verbo Divino.

Obicitur I. Sanguis non est pars corporis. Resp. dist. essentialis Conc. Integralis neg. II. Sanguis etiam non est pars integralis corporis. Respond. dist. primaria Conc. secundaria N. III. Sanguis effusus in triduo mortis Christi perdidit suam formam substantialem. Resp. Neg. quia fuit miraculose præservatus à corruptione, juxta illud Psalm. 15. Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.